

B. M. II, 87.

NA. (X1880752) 52. 1. 7.

h. 16, 18. DISCURSUS HISTORICO-POLITICUS

II R
2118

De
ILLUSTRISSIMO
ELECTORUM
IMPERII ROMANO-GER-
MANICI COLLEGIO,

Quem
AUSPICIIS
GLORIOSISSIMI COELI AC TERRÆ IMPERA-
TORIS

In Florentissima Leucorea,

PRÆSIDE

VIRO

PRÆCLARISSIMO AC PEREXIMIO

Dn. M. HEINRICO Baumann/
10

Torg. Coll. Phil. Adjuncto dignissimo,
Fautore suo honoratissimo,

Publicæ disquisitioni

submittit

CHRISTIANUS Heymann/
Dresdensis

Autor & Respondens.

Ad diem XI. Januar. M. DC. LX.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M DC LX.





C. B. D.

§. 1.



Uibus tantum non omne discursus hujus momentum superstruitur, duo sunt: Alterum, quod nostrum Romano-Germanicum Imperium electitium est; alterum, quod mixtum, atq, ex Monarchia & Aristocratica quasi temperatum. Electitium quando dicitur, hodiernæ Imperii nostri faciei ratio habetur. Olim hæreditario jure ac titulo à Julio Cæsare (quem quartæ Monarchiæ Autorem cum aliis constituunt *Elias Reusnerus, Historicus, Theodorus Reinking in de Regim. sec. & Eccles. l. 1. class. 1. c. 1. n. 30. D. Micralius Synt. Histor. l. 4. p. 345. D. Christ. Matthia Theatr. Histor. l. 4. p. 1842.*) ad successores quosdã, & à Carolo Magno ad posteros plures, quibus nonnulli etiam Conradum I. annumerant, Imperii regimen transiisse, Annales temporum confirmant. Et frustra est certè Hotomannus, dum Caroli M. Regnum non successione & hæreditate; sed electione ad progeniem ejus propagatũ contendit, observante *Celeberrimo Dn. Joh. Henrico Bæclero in Comment. de Germ. Cæsar. p. 21. histor. Caroli M.* Ast hodiernum paulo curiosiore oculo si perlustres & rimeris Imperii nostri statum, liberæ, distinctæ, & propriè dictæ, Imperatoris electionis haud unum occurret documentum. Electionem distinctam hîc oppono confusæ *cum Arniseo c. 6. sect. 5. de statu Germ. Imperii n. 31.* Liberam, ad certum sexum, & nationem tamen restrictam, coactæ, quam, ob Onuphrio Panvino excogitatam *Magnif. Dn. Carpzovius c. XI. sect. 3. §. 1. Leg. Reg. improbat, & cum electione verâ nihil commercii habere exactè demonstrat: Propriè dictam denique impropiè tali, quæ nuda successoris legitimi declaratio, & assumptio est, electitium*

A 2

titium

ditium regnum à successorio nequicquam distinguens. Hujus liberæ, distinctæ, & propriè dictæ Electionis, quæ hodieque viget, firmissima fundamenta passim prostant, & vel ex Aurea Bulla, quam experientia, quantum ad hoc, firmat ac solidat, depromi possunt. Hinc oleum & operam perdit novus status Germanici, si Diis placet, Prometheus, Hippolytus à Lapide qui in l. de Rat. status p. 2. c. 8. sect. 1. 5. libertatis Germanicæ petiturus jugulum liberæ electionis jus eò ipso convelli putat, quod domui Austriacæ jam longè ultra annos 180. cōcredita sunt imperii gubernacula, ut hodiè in familia Austriaca successio radicata videatur; quin imò, uti cū Bodino l. 2. de Rep. c. 3. scribere non veretur, tam altas radices perpetuæ successionis jã in Imperio Romano domus Austriaca egerit, ut non sine magno motu & Publicæ rei incommodo alius, quàm ex illa Imperator eligi possit. Præterquam n. quod ille præmaturis nimis suspicionibus in transversum abripitur, quæ nulli, vel §. 36. Capitulat. Ferdinandi IV. anno 1654. promulgatæ ruminanti, in mentem venire possunt, rationes à Magnif. Dn. Carpzovio c. 13. sect. 10. L. R. & Limnao c. 3. l. 2. J. P. adductas, ob quas per tot annorum seriem Imperatoria dignitas Austriacæ domui liberrimo Illustrissimi Electorum Collegii consensu cessit, vel non omnes trutinat, vel, si quas maledico dēte arrodit, judicii perversi & præcōceptis opinionib⁹ atque affectibus corrupti opes nullibi non prodit, quas ipsas Reinking in præfatione ad Lect. libro suo de regim. ultimæ editionis præfixâ, & Autor Comitologia Ratisbonensis circa an. 1654. masculè dissiparunt.

§. 2. Deinde Imperium nostrum Romano-Germanicum ex Aristocratia & Monarchia, multis modis prævalente, mixtum esse discursus hic principii cujusdam loco habet. Nihil etenim moratur istos, qui mixtam Reipublicæ speciem vel non agnoscunt, vel corruptæ Reipublicæ notam illi audacter inurunt. Suo itidem abundare sensu permittit Politicos istos, qui vel cum Reinkingio & Besoldo Monarchiæ, vel cum Bodino, & Hippolyto à Lapide, Aristocratiæ, characterem Imperio nostro imprimere satagunt, vel, si mixtionem status Imperii admit-

tunt,

tunt, Aristocratix lumen tamen clarius in eodem effulgere
cum *Limneo* sibi persuasum habent. Spuriis plerique ex illis
imbuti sunt principiis, unde ista propullulant inauspicato, &
in vita prorsus Politicâ. Neque Gordios, quibus se implicât,
nodos dissolvunt distinctionum, quas adhibent, acumine.
Emendicata quippe sunt hujusmodi farinæ distinctionum tē-
peramenta, contra quorum intemperiem pro præsupposito i-
sto mixto Imperii nostri statu copias conscribere ut laborem,
nunc necesse non est. Laudati magni nominis Autoris Dn.
Carpzovius & *Limnæus* hâc operâ maximam partem subleva-
runt Politicę studiosum. Unum hoc, salvâ instituti mei ratio-
ne, præterire non possum, quod nempe ista status Imperii no-
stri mixtio, inter mixtas Reipublicæ formas procul dubio o-
ptima, ex dictis simplicibus, iisque diversis, quales in omni
Republicâ mixta reperiuntur, speciebus, Monarchia & Aristo-
cratia, orta, hujusmodi majestatis divisionem secum vehat, u-
bi Imperator sua, quæ habet, majestatis jura, paucis sibi soli
reservatis, cum statibus imperii, qui sunt Electores, Princi-
pes, & Liberæ Civitates, ita communicat, ut semissem quasi
(verba sunt Magnif. Dn. Carpzovii) ipse habeat, & semissem
status imperii, ut sic Illi soli tantum competat potestatis,
quantum hi omnes conjunctim tenent. Inter status autem im-
perii primas sibi vindicare Illustrissimû Electorû Collegiû, in
aprico positum est. In hoc me nunc Academico more de-
mittere, atque in amplissimo cãpo isto, & materia scitu qui-
dem maxime cuivis bono Civi necessaria, ac multis spinis ob-
sita, ingenii mei qualiscunque vires periclitavi non ambigo,
fretus spe boni successus, quem captis indulgeat Dominus
Dominantium, devotè precor.

§. 3. Ut ergo ordine præsens decurrat tractatio, & simul
causæ arcem statim, missis, quæ ad ὀνομασιολογίαν trahi pos-
sent, invadam, capita discursus hujus sequentia constituo.
Primum, quantum mihi quidem intra hasce oleas constituto
licet, percurram illa quæ ad Electores universos tam Ecclesia-
sticos quam seculares pertinent. Abhinc ad ea excurram quæ

vel Ecclesiasticis vel secularibus tantum communia. Postremo in recensione illorum, quæ Electoribus singulis ac divisim sumtis competunt, subsistam. Inter illa vero, quæ ad Electores conjunctim sumtos spectant, primo loco se offert Illustrissimi Electorum Collegii ORIGO. Hanc obscurant, & vix unquam discutiendis difficultatum nebulis involvunt Auctores in diversa hic studia propendentes. Communis & constans, teste Celeberrimo *Dn. Conringio in tract. de Germ. Imp. Rep.acro. 4.* per duo secula & quod excurrit, ab anno videlicet 1250. ad annum circiter 1500. sententia est, quæ Ottoni III. constitutionis istius gloriam decernit. Cujus sententiæ bastatores plurimos *Dn. Carpzovius c.X §.5. nu.14. L.R. & Arniseus c. 6. sect. 5. n. 29. de St. G. 7. Schönborn p. 555. Pol. enumerant, quibus & Liebenthal qu. 1. ex. 9. Polit.* pollicem premit. Alii ab ipsa Carolo Magno: alii à Gregorio V. Papa, Ottonis III. Coætaneo: alii ab Heinrico II. & Sylvestro II. Papa: alii à Friderico I. Barbarossa: alii ab Ottone IV. alii à Friderico II. alii, quorū primipilus est Baronius T. 10. Annal. Eccl. ad annum 996. ab Innocentio IV. Papa, qui Imperatorem Fridericum II. in Cōcilio Lugduni habito excommunicavit, & imperio privavit: alii à Gregorio X. Papa: alii à Rudolpho I. alii à Carolo IV. Serenissimi Electoralis Collegii primordia arcessunt. Quas diversas autorum discordantium classes ex *Dn. Carpzovio, Dn. Conringio, Arniseo, Limnæo, Schönbornero, aliisque constipare licet. Verum omnium illorum castra deserunt, qui non certo aliquo Imperatorum, multò minus Pontificum, decreto atque sanctione; sed tacito quodam consensu Principum, & longa atque ferè immemoriali consuetudine, Electorale Collegium introductum tradunt, & certo temporis articulo Illius natales alligare nolunt. Atq; hæc in hac rerum obscuritate, & dubiorū, quæ certi Auctoris & anni designatores premunt, fœcunda segete tutissima omninò via atq; sententia est, conceptis Aureæ Bullæ c. 1. §. 1. c. 2. §. 5. c. 5. §. ult. c. 9. §. 2. verbis & juris non scripti ingenio maximè congrua; unde & illi subscribunt *Dn. Carpzovius c. 10. §. 5. n. 21. Dn. Conring.**

ring. in Tr. de Germ. I. Rep. p. III. Arumæus disc 3. ad A. B. c. 4. n. 6.
Limnæus l. 3. c. 1. n. 7. 8. J. P. Arnisaus p. 897. oper. Pol. in disc. de
St. J. G. Reinking l. 1. clas. 4. c. 3. n. 12. l. c. B. D. Svevus disp. 2. Feudal.
app. qu. 2. & in proæm. ad Authent. Schönbornerus l. c. aliique
plures ab illis laudati. Quomodo verò consuetudo ista sensim
invaluerit, & quò præter propter tempore potestas illa Ele-
ctorum maximas vires sumserit, juvat audire Dn. Conringi-
um, cui Dn. Carpzovius c. 11. s. 1. n. 25. L. R. & Schönbornerus l. c.
adeò non contra dicunt. Concludit autem ille p. III. l. c. cum
Friderico II. mortuo perturbatissimus esset Germania status, & in-
terregno multorum annorum Rempub. ferè nemo curaret, ceteris
vel ob imbecillitatem vel ob negligentiam jura sua non satis tuenti-
bus (ut sanè ex illo tempore Ordinum pauci habuerunt curam toti-
us Imperii, donec Maximilianus I. instituit illam in circulos divi-
sionem, & Cameram Spirenses,) hos ut potentiores sibi solis hoc
juris sumpsisse. Loquitur hîc Dn. Conringius de illa potesta-
te Electorum, quæ reliquos in eligendo Imperatore omninò
excludit. Aliàs ex Dn. Carpzovio, Arumæo, Limnæo, Arni-
fæo, satis constat, quomodo jam olim ante Fridericum II. po-
testas eligendi ad pauciores Principes recesserit, & post cancel-
lis, quibus tùm circumscripti illi erant, paulatim perruptis,
magis magisque creverit, donec ad hoc culminis, quod ho-
dicque, solenni & firma lege, quam Auream Bullam voca-
mus à Carolo IV. confirmata, tenet, perducta & Septemviris
propria ac perpetua esse capit. Illi, qui Pontificis causam a-
gunt cum Baronio, cui Limnæus in not. ad art. 27. Capitul. Caroli V.
os obturavit, & asætatoris & nugivendi numeros bene implèt,
eoque nomine sublestæ fidei sunt, & parum negotii nostris,
quorum vestigiis pone insistimus, faceffunt. Illi v. qui certo
Imperatori Electoralis Collegii constitutionem tribuunt, nul-
lam ullius sanctionem producere, nec mentionis, quam de
Electoibus scriptor aliquis ab Ottonis III. ætate ad Frideri-
cum usque II. iniecit, vestigium ullum monstrare possunt.
Præterea non distinguunt alii Electoralis Collegii constitutio-
nem à potestatis eligendi Imperatorem atque ipsius imperii
posses-

possessionis ab Ottone III. exemplo Ottonis I. ab Italis ad Germanos deductæ, translatione, advertente *Dn. Arniseo c. 6. §. 5. n. 31. l. c.* Alii confundunt vel potestatem eligendi Principum, qui hodie Electores dicuntur, sibi solis reservatam cum illa, quam cum aliis Principibus quondam habuerunt divisam: vel potestatis illius concessionem ac possessionem cum ejusdem confirmatione. Cætera Autorum hîc dissentientium placita perstringunt sæpius citati figillatim.

§. 4. Transimus nunc ad Electorum NUMERUM. Septenarium satis vetustum Carolus IV. approbavit in A. B. Et extant versiculi de septem Electoribus, rudi Minervâ conscripti seqq.

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,

Quilibet imperii sit Cancellarius horum.

Inde Palatinus Dapifer: Sax portitor ensis;

Marchia prepositus Camcra: Pincerna Bohemus.

Hi statuunt dominum cunctis per secula summum.

Ejusdem sensûs alios citat *Limn. l. 3. c. 1. n. 26. de J. P.* Quibus v. de causis ad septem præcisè Principes potestas & dignitas ista Electoralis devoluta sit, diversas rationes conquirunt Auctores, quas rectius conjecturas quasdam dixeris. Alii quos citant *Dn. Carpzovius c. 10. §. 5. n. 34. L. R. Limneus l. c. Siebenthal ex. 9. Pol. §. 9.* factum hoc suspicantur propter numeri septenarii perfectionem: alii cum Peucero l. 4. Chron. propter consuetudinis Persarum, qui, referente etiam *Besoldo p. 111. Tr. de J. P.* septem Magos Regis Consiliarios primarios habebât, observationem. *Onuphr. Panvinus de Comit. Imperial. c. 9.* numerum istum imparem electioni accommodatum esse putat, quod ad tollendam votorum paritatem, adeoque componendam discordiam, inter Electores Imperatorem eligentes forte ortâ, aptus est. Alii, Veteres quatuor ordinum, Regum, Ducum, Marchionum & Comitum, qui olim Imperatorem eligebant, rationem habuisse tradunt, assumendo unum ex singulis, ne ullus eorum, ac si præteritus & exclusus esset, conqueri posset. His quatuor Electoribus secularibus postea
boni

boni ominis ergo tres Ecclesiasticos (non unum, propter ordinis Ecclesiastici auctoritatem, nec duos tantum, propter evitandam votorum paritatem) adjectos esse dicunt; quamvis alii hinc consilium Pontificis qui per cuniculos potestatem, quam in Imperii negociis sibi arrogare solet, hanc viam confirmare fategerit, intervenisse fateantur cum *Schleidano in orat. ad Imper. Princ. pag. 9.* Sed harum rationem nulla ad palatum est Limnæo, qui rem in medio relinquit, & in amplissimo hoc conjiciendi campo divinatoris personam tueri renuit. Ipse etiam *B. Suevus in app. d. 2. Feud. qu. 2.* nihil certi hac de re statui posse agnoscit, & illud J. Cti Juliani I. nam omnium 20. D. d. LL. hinc trahit: Non omnium, quæ à Majoribus constituta sunt, ratio reddi potest. Atque ad hoc ignorantiaæ asylum in præsentem ego etiam confugio, quod in nulla adductarum rationum acquiescere animus potest, præsertim si Dn. Conringii hypothesin de Electorum origine hinc ruminare, & tunc octonarium Electorum numerum, qui hodie obtinet, & Veterum sollicitudini, votorum paritatem declinanti, minimè favet; tunc §. 8. Instrum. Pac. Osnabr. inter Imperium & regnum Sueciæ, ubi etiam reliquis Statibus non nihil negotii circa electionem R. Romanorum datum est, ponderare velit. Divinatorias conjecturas reliquas Limnæus falsè diluit. Nec est, quod quis vel illarum discussioni immorari, vel istius septenarii rationem reddere (qualem forte & ex *Arniseo n. 48. & 62. l. c.* familiis potentioribus injuria temporis præmortuis jus omne electionis ad Septemviros reddidisse asserente, ex sculpere possem) anxie laboret, cum hodie octavus Electoratus introductus, & in Instrum. pac. Osnabr. cit. & Monaster. inter Imperium & Regem Franc. §. & primo quidem A. 1648. confirmatus sit. Verba art. 4. instr. pac. Osnabr. hinc facientia hæc sunt: *Quod ad Domum Palatinam attinet, Imperator cum Imperio, publice tranquillitatis causa consentit, ut vigore presentis conventionis institutus sit Electoratus Octavus, quo Dominus Carolus Ludovicus Comes Palatinus Rheni ejusque hæredes & agnati, totius Lineæ Rudolphinæ juxta or-*

B

ordi-

diem succedendi in Aurea Bulla expressum, deinceps fruantur. Nihil tamen juris, præter simultaneam investituram ipsi Domino Carolo Ludovico aut ejus successoribus ad ea, quæ cum dignitate Electorali Domino Electori Bavariæ, totiq; Lineæ Guilbelmianæ attributa sunt, competat. Deinde ut inferiori Palatinatus totus cum omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus bonis, Juribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesq; Palatini gavisi sunt, omnibusq; documentis, registis, rationariis, & cæteris actis huc spectantibus eidem plenariè restituantur: Cassatis, quæ in contrarium acta sunt, idq; auctoritate Cæsarea effectum iri, ut neq; Rex Catholicus, neque nllus alius qui ex inde aliquid tenet, se huic restitutioni ullo modo opponat. Porro: Quod si verò contigerit Lineam Guilbelmianam masculinam prorsus deficere, superstite Palatina, non modo Palatinatus superior, sed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ Duces fuit, ad eosdem superstites Palatinos, interim simultaneâ investitura gavisuros, redeat, octavo nunc Electoratu prorsus expungendo: Ita tamen Palatinatus superior hoc casu ad Palatinos superstites redeat, ut heredibus allodialibus Electoris Bavariæ, actiones & beneficia, quæ ipsis ibidem de jure competunt, reservata maneant. Ex hisce satis elucescit cum domus Palatinæ in pristinam dignitatem plenaria ferè restitutio, tum restitutionis istius ratio, qualis olim Status Impetii, cum Maximilianus I. Archiduces Austriæ in numerum Electorum cooptari frustra peteret, & Gabriel Transylvaniæ & Zeculorum Princeps dignitatem Electoralem ambiens repulsam ferret, non urgebat. Quomodo v. Fridericus Palatinus, Regni Bohemiæ Candidatus, Anno 1620. gratia Ferdinandi II. Imperatoris exciderit, & quo jure illo dignitatis gradu dejectus sit, altius inquirere & repetere mei instituti ratio non permittit.

§. 5. Porro AUTORITAS & illustrissima Electoralis Collegii dignitas silentio involvi non debet. Quæ a. & quanta illa sit, ex variis argumentis elucet. Ad Electorum enim dignitatem referendi primum tituli & encomia Illorum à *Limn. l. 3. c. 2. n. 1. 2.* ex variis collecta, quibus aliquot implem paginas,

nas, si ea nunc transcribere, & plura alia ex Dn. Carpovio, Reinkingio, (cujus nonnulla principia tamē dignitatem Electoralē non aded stabiliunt) Arumæo, adjicere vellē. Deinde ad Electorum dignitatem spectat quam maximè quòd Imperator Illos in Majestatis suæ consortium admittit, id quod vel ex regiminis Imperii nostri conditione manifestum est. Nee movere quem possunt, quæ hīc in contrarium affert Dan. Otto in disc. de Majest. Imper. & Imperant. cui scrupulum exemit *Magnif. Dn. Carpov. c. 13. sect. 6. n. 37. L. R.* Posthæc non parum auctoritati Electorum accedit, quod Regibus comparantur (licet Reges non sint, nominibusque ac insigniis Regū non gaudeant, excepto Rege Bohemiæ) unde & B. Lutherus c. 38. Coll. Mēl. scribit. **Die Churfürsten schreiben Königen Ewre Lieben/und nicht Ewre Gnaden/denn sie sind den Königen gleich geacht.** *Vid. Dn. Carpov. c. 10. f. 7. n. 11. seq. f. 5. n. 6. sequen. Arumæus disc. 3. ad tit. 4. §. 1. A. B. th. 4.* Illustrior redditur eadem inde etiam quod Parlamenta Galliæ non conferenda cum Electorali Collegio quod ipsum latius diducit *Arumæus c. 6. f. 5. n. 75. l. c.* Et ne forte quis Electores Ecclesiasticos qui non semper Imperatoribus naturalis cognationis aut agnationis necessitudine devincti sunt, cujus facta mentione seculares secundum officii commemorationem ab Imperatoribus aliàs compellari solent, secularibus inferiores esse viderentur, factum est, ut per modum civilis quasi adoptionis, Ecclesiastici nomine nepotum (Liebe Neven) ab Imperatoribus honorari cœperint, de quo confer *Arumæum p. 128. l. c. Linnæum l. 3. c. 3. n. 31. Besoldum p. 305. f. P.* Cum hac Electorum dignitate a. non pugnant ministeria Electorum secularium Imperialia, sic uti Bodinus nugatur l. 1. de Rep. c. 9. quod nempe ex præstatione officiorum Electoralium (puta Pincernæ, Dapiferi, Mareschalli & Camerarii) Principes servorum instar à Cæsaribus habeantur. Hinc n. sicuti Majestas (reponit *Magnif. Dn. Carpovius c. X. f. 6. n. 2.*) Imperatorum ex hoc ipso haud parum clarescit, quod nempe non homines vulgares & plebejos suis ministeriis, non pueros delicatos suis tricliniis, sed

Principes adhiberi voluerint: ita nec Principes ipsi suæ dignitati indecora illa ministeria unquam habuerunt, quin potius certatim ista ambierunt. Multo minus eandem imminuit, quod officiorum illorum dignitatem ab Episcopo Bambergensi per vicarios suos speciatim petere tenentur. Petitio enim ista non subjectionem quandam; sed diligentem veteris consuetudinis observantiam arguit. Cùm igitur tanta Electoralis Collegii dignitas atque autoritas sit, omnium certè bonorum odium, quin & Dei, qui Christiani orbis Principes, quales quales sint, ab omni privatorum insultu atque injuriis vel maximè tutos, & quasi Sacro-sanctos esse iussit, vindictã in se concitat larvatus iste Hippolytus à Lap. cui religio non fuit in has etiam præeminentes Imperii columnas atrocissimè invehere & ex affectibus suis sat dirã & atroci calami crenã hos Archi-Principes perstringere: Insimulat enim non tantùm Eisdem omnes ignorantia, assentationis, præposteræ scientiæ & conscientia, qui cuminum serant & camelos deglutiant: In minimis scrupulosi, saniora cõsilia impediunt, & maxima rerũ momẽta insuper habeant; qui ob pueriles ineptias (absit injuria dicto) vana quadã Cæsarei nominis reverentia absterriti, Ferdinando bellũ apertũ indicere distulerint; sed & in specie Serenissimi Saxonie Electoris, honorem & dignitatẽ fugillat, quod videlicet in rebus Imperii satis pueriliter egerit, crassumve errorem erraverit. Quæ & alia hujus nefariæ farinae in p. 2. c. 8. s. 3. 5. aliisque locis dissertat. ejus de Rat. Stat. obvia satis indicant, Anonymum istum Calumniatorem frontem planè deposuisse, omnemque reverentiæ cultum quẽ Deo & summis Imperii Romani, cujus civem se profitetur, capitibus debet, ejurasse. Sanioris mentis homines terrena Numina reverentiùs habere didicerunt.

§. 6. Confirmat istam Electorum autoritatem ipse etiam eundi & considendi O R D O, qui partim respectu aliorum Principum, partim inter Ipsos observatur, quem Carolus IV. vel præscripsit, vel tantum confirmavit, uti colligit Dn. Carpzov. *6. 10. s. 7. n. 7. L. R.* De ordine Principum Electorum ad alios Princi-

Principes communes Carolus IV. in c. 6. A. B. decernit, ut in
celebratione Imperialis curiae, quotiescunq; illam deinceps celebra-
ri contigerit, ante dicti Principes Electores, Ecclesiastici, & secula-
res, juxta praescriptum ordinem atq; modum, a dextris & a sini-
stris immutabiliter teneant loca sua, eisq; vel eorum alicui in qui-
buscunq; actibus ad Curiam ipsam spectantibus eundo, sedendo &
stando, Princeps alius, cujuscunq; status praeminentiae vel condi-
tionis existat, nullatenus preferatur: Eo signanter expresso, quod
nominatim Rex Bohemiae in celebratione Curiarum hujusmodi, in
omnibus & singulis actibus antedictis, quemcunq; Regem alium,
quacunq; etiam singulari dignitatis prerogativa fulgentem, quem
quovis casu seu causa venire vel adesse forte contigerit, immutabili-
ter antecedit. In hoc capite duplex dispositio, una genera-
lis ad omnes Electores spectans, altera specialis, quae de solo
Rege Bohemiae loquitur. Quae dispositionis diversitas, Po-
liticos in sententiarum divortium traxit. Inveniuntur enim,
qui exinde colligunt, distingui h. l. Principes a Regibus, so-
lumq; Regem Bohemiae in actibus ad Curiam spectantibus a-
liis etiam Regibus, Electores v. solis Principibus, praeferi, sta-
tuunt. Quae interpretatio hoc in conveniens secum trahit,
quod nempe, si Rex Bohemiae solus alium Regem praesentem
in Curia antecedit, reliqui autem Electores non antecedunt,
sed sequuntur, totus hoc casu turbetur ordo, & Electores Ec-
clesiastici, quoniam Regi extero postponuntur, postponantur
etiam Regi Bohemiae. Hinc *Rumelinus* scopulum istam evitatu-
rus *Dissert. 5. ad A. B. art. 1. th. 19.* censet soli Bohemiae Regi,
& tribus Ecclesiasticis Electoribus prerogativam praecedendi
Reges exteros, competere. Regi Bohemiae quidem, ob dispo-
sitionem specialem, Electoribus autem Ecclesiasticis, vi re-
gulae &c. Verum haec opinio *Limnaeo* in *Annotatis ad Art. 4.*
Capitul. Ferd. III. non magis atque prima arridet. Ipse v. ge-
neraliter verba A. B. (*nullus Princeps alius, cujuscunq; status,*
dignitatis, praeminentiae, vel conditionis existat) accipit, & in
celebratione Imperialis Curiae (non aequae in aula & sacello
Imperatoris) omnes Electores Reges exteros antecedere de-
fendit.

tendit. Ego, inquit, verbis (paulò ante adductis) non solos illos intelligo Principes, qui specialiter ita dicuntur; sed generaliter omnes, cujuscunq; dignitatis, vel præeminentiæ sint; hoc est, siue sint Ecclesiastici, siue seculares, & hi, siue Reges, Duces, Landgravi, &c. audiant, quo sensu, in eadem Bulla, Principis Electoris nomine sæpissimè Bohemus, qui tamen Rex est, venit, & clarissime Princeps dicitur, ut & regnum appellatur Principatus. Nec me turbat, pergit, rubrica c. VI. qua notatur, in nigro agi de cõparatione Principum Electorum, ad alios Principes communes, nam & Rex, eo respectu, quo Elector non est, Princeps communis dici potest. Aut, si hoc non placet, velim doceri, unde pateat, rubricas capitum Aureæ Bullæ authenticas esse, & sitales esse probatũ detur, dicam, si nigrum est generalius rubro, quod tunc non restringatur per rubrum. Addit porrò: Est hæc (Specialis dispositio Regem Bohemiæ concernens) reiterata, & superflua, nã, & sine illa, ex generali constitutione patet, Regem Bohemiæ, æque ut ceteros Electores, omnibus aliis Principibus, cujuscunq; status, dignitatis &c. hoc est, Regibus, Ducibus &c. præferri, in actibus ad Curiam spectantibus. Quod verò etiam signanter, & nominatim, post generalem sanctionem. Carolus IV. Aureæ Bullæ conditor, Regis Bohemiæ meminisse voluit, id ad affectum refero, quo ipse, qui Rex Bohemiæ erat, futuros sibi in Regno successores, Regnumq; ipsum prosequeretur; cujus nota variè per totam Bullam sparsim leguntur. c. 1. §. X. primo loco de Rege Bohemiæ conducendo agit, eiq; in eadem materia §. XI. & XII. Coloniensem & Trevirensis postponit, quos præponere debuisset. c. 9. §. 1. Regis Bohemiæ specialem mentionem facit, ceterorum Electorum verò tantum in genere, ipsumq; Regem omnibus sermone anteposit. Idem fit c. X. §. 11. Hactenus Limnæus, cui Arumæus disc. 4. ad A. B. c. 6. th. 1. suffragatur citans hanc in rem Rudolphi II. decretum, cui hæc inter alia verba inserta sunt: Daß der Churfürsten Hoheit und Authoritât mit einß Römischen Kaysers Gewalt und Hoheit/daher sie auch fleust/dermassen verbunden/das eine oder die ander nicht verschmälert werden/ auch ohne die an-

der

der nicht bestehen kan / ja daß die Höchste Würde der Chur-
fürsten / damit sie vor (NB) andern Königen und Potenta-
ten gezieret / eben diese ist / daß sie einen Römischen Kayser /
dessen Hoheit / und Authorität vnd Gewalt alle andere ü-
bertrifft / von der auch alle andere herfleußt / zu wehlen habē
Facit etiam huc instantia, quam Arumæus affert de Rege Bo-
hemix, qui etsi antiquitate & potentiâ Regibus Gallix & Hi-
spaniarum cedat, attamen quia & Rex, & ut Elector in actibus
Imperialibus consideratur, eos antecedit, extra quos in aliis
Principum conventibus tantum abest, ut Bohemo illi cedat,
ut Gallus aliquando non erubuerit, cum Carolo V. electo
Romanorum Rege in certamen de loco digniore venire. p. 171.
l.c. Firma satis, ni fallor interpretationis hujus fulcra hæc
sunt, quibus an ab experientia etiam accedit robor quoddam,
vix dubitari potest. Scilicet hîc in controversia sessionis (*A-
rumæi* p. 171. 172. verbis utor) non ad dignitatem familiarum
sed officii respiciendū est. Novū n. non est, etiā eū, qui in ma-
jori dignitate est, ratione temporis vel loci ei, qui in minore
constitutus est, postponi. Nec obstat, quod in Concilio Ba-
siliensi, Philippi Ducis Burgundiæ Legati decreto Patrum E-
lectoribus prælati sunt; & quod Respublica Batava non satis
comiter hucusque dignitatem Electorum coluisse dicitur, re-
ferente *Limnæo* p. 681. ad art. 4. Capit. Ferd. III. ex *Autore des
Gutachtenß wegen der Holländischen confæderation.* Ex fa-
ctis n. Juri contrariis huic nullum affertur præjudicium. O-
ptimo a. Jure summum dignitatis locum sibi præ reliquis Prin-
cipibus vindicare Electores, seu dignitatem seu merita illorū
spectes, pluribus probant *Dn. Carpzov. c. X. s. 7. n. 9. & Arumæo*
l.c. Præterea de isto inter Autores disquiritur, an Rex Bohe-
miæ in solenni procesione Reginam Romanorum, seu Impe-
ratricem antecedere debeat, ubi affirmativa, quam *Limnæo*
l.c. amplectitur, forte non extra omnem dubitationis aleam
posita est.

§. 7. Sed hæc aliis relinquo, & nunc ad ordinem inter E-
lecto-

lectores ipsos observandum progredior. De hoc sessionis ordine (quem ab ordine processioneis diversum esse observat *Limnaeus l. 3. c. 5. n. 18.* cum aliis, quibus experientia attipulatur) itidem Carolus IV. in *A. B. c. 3. & 4.* statuit, ut quotiescunque Imperialem curiam ex nunc in antea celebrare contigerit, in qualibet sessione, videlicet tam in consilio, quam in mensa & locis aliis quibuscunque, ubi Imperatorem vel Regem Romanorum cum Principibus Electoribus sedere contigerit, à dextrò latere Imperatoris vel Regis Roman. immediate post Archiepiscopum Moguntinensem, vel Coloniensem, illum videlicet quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate provinciarum juxta privilegii sui tenorem, dicto lateri dextro Imperatoris assidere contigerit, Rex Bohemæ, cum sit Princeps coronatus & unctus, primùm, & post eum continuò Comes Palatinus Rheni secundum, sedendi loca debeant obtinere: Ad sinistram verò partem immediate post illum, quem ex prædictis Archiepiscopis in latere sinistro sedere continget, primum locum Dux Saxonie, & post eum Marchio Brandeburgensium alterum obtinebit. De Trevirensis v. Sessione in c. 3. hæc habentur: Trevirensis ex opposito & lineari directione versus Imperatoris faciem sedere potest. Circa hunc sessionis ordinem observant Autores, tum quod à Carolo IV. ratione Regis Bohemæ (non ratione Marchionis Brandeburgici & Comitis Palatini, quod vult *Beutherus de orig. Elect. cum P. Heigio p. 1. q. 3. n. 24.*) qui cum ad hoc Ducis nomen haberet, novissimus fuit, non nihil immutatus sit: (vid. *Dn. Carpzovius s. 7. c. X. n. 2. 3. 4. ubi plures citat*) tum quod anomalæ sessionis Trevirensis exacta ratio dari non possit, færente *Limnaeo l. 3. c. 15. n. 13. contra Arnumæum disc. 3. ad A. B. th. 2.* Causas, ob quas alter alterum, & speciatim quidem Trevirensis Coloniensem, antecedit, scrutari nunc non placet. vid. *Limn. l. 3. c. 5. n. 7. Besoldus p. 310. l. c.* Ille v. ordinis tenor hodieque durat, nisi quod, postq. Fridericus Palatinus Electorali dignitate privatus, in ejus locum Bavarus substitutus est; & hodie Palatinus, pristinae dignitati redditus, & inter Electores octavus factus, ultimum locum tenet. Extat v. peculiare Electorale conclusum de ordine sessionis & processioneis hodierno, quod

no, quod A. 1654. promulgatum Florus Germ. p. 303. refert. Ex quo concluso etiam ordinem, inter Electores immediate presentes, & absentium Legatos in sessionibus & processionibus diversis pro circumstantiarum diversitate observandum, haurire possumus.

§. 8. Post hæc inter illa, de quibus Electores universi participant, occurrit POTESTAS ELIGENDI, vel quæ Electoribus in electione Imperatoris Romani concessa est. Hujus initia & incrementa ex præcedentibus innotescunt. Diffundit autem materia illa sese latissimè, si quis omnes circumstantias electionis, occasionè, locū, modū, objectū, & similia antecedentia, intermedia & consequentia, quæ, ut electio ritè peragatur, requiruntur, accurate, percensere & trutinare velit. Sed ut præstitutæ metæ limites equidem observem, quædam ab instituto meo non aliena primis saltem labris attingam. Subjectum potestatis illius sunt omnes, hodie octo, Electores, s. totum Collegium Electorale, non a. singuli, quod cōtra *Hostiensem Limneus l. 2. c. 3. n. 67.* nervosè demonstrat. Omnes ergò à Moguntino, Collegii Electoralis Decano, data electionis occasione, ad comitia Imperialia vocādi, si electio rata esse debet. De Rege Bohemiæ quidem dubitare solent alii, an legitimus Elector sit, alii, an ante tempora Caroli IV. jus suffragii in electione Regis Romanorum habuerit. Sed hæc lites hodie sub Judice non amplius esse videtur, & easdem præter alios diremit atq; composuit *Magnif. Dn. Carpz. c. 5. sect. 10. n. 1. 22. ex A. B. c. 4. & c. 7. §. 1.* Ad electionis modum inter alia referri debet sententias dicendi, seu uti loqvuntur, votandi ratio. Hic a. de ordine in votando incidit controversia *Limneus l. 2. c. 3. n. 57.* distinguit inter ordinem votandi antiquum & novum. Antiquitus primum votum competiisse Moguntino probat ex *Speculo Sax. l. 3. art. 57.* & *Guntheri*, qui tēpore *Frederici I.* vixit, *Ligurini l. 6. v. 610.*

— ad Proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de jure vetusto
Moguntinus habet.

C

Ordi-

Ordinem v. votandi à Carolo IV. in A. B. c. 4. § 3. confirma-
tum (ubi Trevirensi primum votum conceditur) recentiore
esse dicit. Quem ipsum *Arumaus* p. 132. 139. l. c. posterioribus
temporibus denuò mutatum, remq; ad priorem observanti-
am redactam asserit, & in electione Caroli V. Moguntinum
primum votum tulisse, confirmat *ex Sleid. l. 1. p. m. 19.* cuius au-
toritati etiam *Reinkingius l. 1. cl. 3. c. 5. n. 28.* cedit, qui hinc in
sententiam Arumæi transit, quamvis in aliis Imperii particu-
laribus conventibus contrarium se vidisse addat, nempe in
conventu Ratisbonensi Electorum & quorundam Principum
de Anno 1623. ubi Moguntinum aliorum Electorum vota usq;
ad Saxoniam Electorem explorasse, suam verò ultimo loco ex-
posuisse sententiam, cum brevi omnium aliorum votorum re-
capitulatione, refert. His sese opponit Dn. *Limnæus l. c.* & re-
censionem Sleidani de Electorum deliberatione potius quàm
de suffragio ipso accipiendam esse monet & probat partim ex
Protocollo Coronationis Caroli V. tit. 31. apud *Goldastum &*
Georgii Sabini ejusdem Coronat. descriptione; partim in-
de, quod aliàs ex d. l. *Schleidani* colligi possit eodem mo-
do, in Saxone votandi ordinem mutatum esse, qui ter-
tio loco verba fecisse ibidem dicitur. Relationi a. qua *Aru-*
mæus nititur, indubitata fidem in omnibus tribuere recu-
sat. Ab ipso facit, quantum ad hoc, Autor *Comitiol. Ratisbo-*
nenfis ad an. 1654. *Sleidani* omnium Circumstantiarum co-
gnitionem habuisse dubitans & ab A. B. hodiernam votandi
consuetudinem non abire confirmans p. 72. Aliàs hic ipse in
versibus *Guntheri* verba PRÆCIPUAM VOCEM. non Arith-
meticè, per primam vocem, sed prælativè (uti loquitur) ex-
plicat, & sic primarias tantum partes, ex mente *Guntheri*
etiam, Moguntino in votando assignat. qua explicatione
admissa, & *Speculi Sax.* auctoritate (quã ipse Dn. *Carpz.* non
ubique magni pendit, *vid. c. 5. f. 10. n. 6. 15. L. R.*) tantisper post
habitâ, antiqui votandi ordinis cum moderna convenientia
vix amplius obscura esse potest. Primarias enim partes Mo-
guntinus in votando hodieque tenet, id quod vel inde con-
stat;

stat; quia & penes ipsum est jus secretè scrutandi (olim publicus scrutiniū hoc institutū est, si exēpla ab *Arumæo c. 20. p. 135.* adducta admitto) ac colligēdi reliquorū vota: & ut *Autor Comitial. Ratisb. p. 147.* loquitur, vocem directricem & concludentem habet, Electore Saxonie, quod ibidem addit, sententiā ipsius perrogante; quāvis aliās hoc votum illius perquirēdi officium à Caroli IV. in c. 4. §. 3. A. B. cæteris Coelectoribus universim sumptis commissum sit. Notatu autem dignum, quod ex §. 5. deducitur, tum quod Palatini votum post Electorem Brandenburgensem, à Moguntino hodie colligatur, & votum tertium alioquin Palatino assignatum, Bavarus obtineat, per art. 4. Instr. pac. Olnabr. & conclusum, *So das Churf. Collegium, der session vnd præferens betreffend An. 1654. beliebet:* tum quod inter Legatos Electorum absentium & Electores immediatè præsentem, idem, qui aliās vel inter Electores, qn. omnes præsentem sunt immediatè, vel inter Legatos, si neuter Electorum in persona compareat, obtinet, in votando observetur ordo; licet in sessionibus & processionibus quibusdam Electores præsentem Legatis Primariis (observatis observandis) præferantur, his, prout Dominorum Principalium ordo requirit, illos sequentibus. Atque huc pertinent verba conclusi Electoralis citati sequentia: *Doch soll es (scil. quod Electores præsentem præferūt Legatis, quorū Principales Ipsos antecedunt) alles zum höchsten so wohl einem Churfürsten zu Wähns an seinen führen den Directorio, als auch sonst durchgehend dem ordini votandi keines weges nachtheilig/ sondern in alle wege vorbehältlich sein / das die umfrage respectivè den Alten Herkommen nach / und Instrumento Pacis gemäß / nemlich Trier / Cölln / Bavern / Sachsen / Brandenburg / Pfalz und Wähns mit seinem Voto Conclusivo, beschehe &c:*

§. 9. Circa Exercitium potestatis eligendi (ut controversa de objecto, loco, tempore aliisq; circumstantiis sic copede nunc præteream) hoc alicui dubium suboriri posset, an nempe Electorale Collegium potestatem eligendi, exclusis

reliquis Statibus Imperii, Principibus & liberis Civitatibus,
• hodie exserat & exerceat? occasio dubitandi nascitur 1. ex
verborum sequentium art. 8. Instr. pac. Osnabr. tenore:
*In proximis comitiis emendantur imprimis anteriorum con-
ventuum defectus; actum quoque de electione Romanorum Regum,
certâ constantiq; Cesareâ Capitulatione concipiendâ ex communi
statuum consensu agatur & statuatur.* Ex his enim Instrumen-
ti verbis, reliqui status Imperii (refero hæc ex Autore Comit.
Ratisb. p. 149.) in negotio electionis Romani Regis, circa ca-
pitulationem sibi asserunt jus consilii dandi, daß Sie dabey ih-
re Erinnerung thun mögen: aber darunter per modum & facul-
tatem suffragii & concludendi sich ein zu mischen. 2. ex præscri-
pti illius citati in electione Ferdinandi IV. observatione. De
hac nos certos reddit Autor Comit. Ratisb. p. 325: 226. & p. 70.
ubi hæc leguntur dieses ist dennoch bey der jüngsten Wahl Fer-
dinandi IV. an seiten der Churfürsten rühmlich zu mercken/ daß sie
in den Fürsten/und in einige besorglich consequentz kein Mißtra-
wen gesetzt/sondern da sie sich der capitulation halber angemeldet/
derselben Erinnerung nicht gang außgeschlagen. 3. Ex formula-
rum in principio & fine capitulat. Ferdinandi III: & Ferdi-
nandi IV. ut & Leopoldi adhibitarum diversitate, quam Au-
tor Comit. Ratisb. perpendens, concludit p. 336. Es seynd
vermöge des vorgesagten instrümenti pacis, neben den Churfür-
sten die andern Reichsstände in diese consideration gezogen/ daß
wie flugs Anfangs die vormahls gebräuchliche Formalia capitu-
lationis mit commemoration der sämpelichen Fürsten und Stän-
de geändert/also auch am Ende bey dem letzten Articulo des Röm.
Königs Endliche verbündligkeit nicht / wie vor diesem allein
auff die Churfürsten / sondern auch unter ihren Personen / auff
das ganze Röm. Reich gerichtet ist. Sed dubiorum horum facilis
esse videtur solutio. Nam primò ipse Autor Comit. Ra-
tisb. p. 69. notat das den Ständen in dem instrumento Pacis,
und bey dem jüngstem Reichs Tage zu Regenspurg de Anno 1654.
Zu der wahl Ferdinandi IV. ein mehres /dann nun dabey confe-
rentz weise/ ihre Erinnerung zu thun/nicht eingeräumet. Et p. 70.
refert quod Electores quidem consilium reliquorum statuum
Impe-

Imperii admiserint doch ohne verschmälerung ihres Churst. Rech-
tes und Herkommens. Hinc & tū tēporis Electores nō adeo æ-
quo animo illā interpellationē tulerūt, quod ex sequentibus
Auctoris C.R. verbis liquet: womit (admittēdo nēpe monita
Statuū reliquorū) sie dā dē Instrumēto Pacis ein gnügen gethan/
aber auch daneben gezeiget haben/wie eyfferig sie seynd über der Con-
servation ihrer præminentz, und gerechtfame/gestalt dergleichen
apprehension auch hieran zu erkennen/wiewol die vorgesagte Kö-
nigs Wahl eben so wol in einen besondern Quartier zu Regenspurg
hätte verrichtet werden können/das dennoch sie (die acht Churfür-
sten) diesen Actum vorzunehmen / von dannen weg gezogen und
sich nach Augspurg begeben/auff das die andern /auff dem Reichs-
tage/in der Stadt Regenspurg anwesende Reichs Stände mit ih-
rer Erinnerung/und sonsten sich nicht zu viel darein mischen / noch
es in künftiger Zeit für ein Exempel anziehen könnten/ob müste ein
Römischer König/oder Kaysler nicht anders / dann bey gemeinen
Reichs Versammlung/auff öffentlichem Reichstage erkohren wer-
den. Deinde verò materia illa litis & sinuosa prolixitatis an-
fractus ē medio sublatus est per decretum Collegii Electoralis
capitulationi Leopoldi annexum; cujus summa ferè his ver-
bis continetur: Ob wol ein Hochlöblich Churfürstlich Collegi-
um aus sonderbaren erheblichen Ursachen vor dißmal hat gesche-
hen lassen/das so wol außwertiger Potentaten und Republicquen
Botschafften/Gesandten und Abgeordnete / als auch andere aller-
hand Standes/personæ publicæ bey isiger wählender Capitula-
tions- und andern zu der Wahl gehörenden deliberationibus sich
allhier in Franckfurt am Mäyn auffgehalten / So solle doch sol-
ches ins künftige von niemands / was Standes oder Würden er-
sey/in consequentz gezogen/oder aber wieder die güldene Bull/
die Churfürstliche præminentz und in diesem fall zustehenden son-
derbaren Rechts/allegirt oder gemißdeutet werden. Sub pœna
igitur prohibitum fuit, ne cives Francofurtenses, cum Electio in-
dicta, vel approximante electionis termino, alias personas publicas
præter Electores, & qui in ipsorum Comitiva realiq; servitio repe-
riuntur, recipiant. vid. Laurus A& publ. Europæ part. 2. p. 31.

§. 10. Cum potestate illa Collegij Electoralis eligendi Imperatorem connexam esse POTESTATEM Eundem DEPONENDI, censent plurimi, quos Dn. Carpzov. c. 14. f. 6. n. 4. laudat. Dn. Arniseus c. 6. f. 5. n. 71. dest. J. G. Electores hic cum Ephoris Lacedæmoniorum confert, Ephori inquit *Judicabant Reges & quos invenissent legum violatores abdicabant. Id quoque jus competere Electoribus, dubium non est quippe qui etiam invitam Imperatoris inquirere, & malè Rempublicam gerentem ab Imperio & majestate deicere possunt. Et c. 2. sect. 4. n. 28. l. 2. de Rep. p. 342. electionem successionem præferendam esse inter alia inde probat, quod si Præter spem & expectationem electione adoptatus Princeps ad deteriore partem animum applicet, Electoribus, quinquennio Neronis deceptis (Sicuti c. 9. p. 83. Doctr. polit. loqui amat) in promptu sit remedium, quo subditis contra hereditarium Regem, uti non licet, nimirum ut quem meritum investierunt, eandem immeritum devestiant* que verba sunt Episcopi Maguntini pronunciata contra Henricum IV. Imperatorem Idem l. 1. c. 6. n. 12. l. de. Jur. Maj. & c. 1. n. 4. l. de aut. Princ. in viol. inculcat. Nec aliter sentiunt Dn. Limnaus l. 2. c. 3. n. 23. & l. 3. c. 2. n. 9. l. c. Et Schönbornerus p. 558. Polit. Hippolytus à Lap. 15. p. 275. l. de R. St. ambabus quidem manibus potestatem exauctorandi Impecatorem largitur - sed eam ad totum Imperium & reliquorum quoque ordinum notionem pertinere asserit, hujusque asserti sui fulcra partim inde quod *jus eligendi à toto Imperio, ac omnibus ordinibus, Juri suo renunci- antibus seu cedentibus, ad tumultus evitandos, in Electores collatum, ideoque strictissime interpretandum; nec ad exauctorationem, ab uno casu ad alium extentendum est: Partim ab experientia & proceden- di modo, in Wenceslai ex auctoratione observato, petit. Reinkingi- us. l. 1. cl. 1. c. 5. quæstionem hanc in utramque partem disputat & in specie de illa quid affirmare, suumque judicium interponere non audet. Ast l. 1. cl. 2. c. 2. n. 183. 189. mentem suam ita exponit: Quod Electores Imperatorem deponere possunt, id non regulari sed irregu- lari jure evenit. Legitimè verò constitutum deponere non possunt Im- peratorem qua Imperatorem, licet tanquam fidei & juris temerato- rem, si talis fiat. Potissimum, quo fulcitur Autoritas illorum assertio,*

assertio, argumentum est, quod Imperium nostrum inter regna conditionata, quæ ex pacto & legibus ad euntur (verba sunt Arnisei) numerandum, ubi Proceribus Imperij licentiam resistendi, & jure contractus reciproci Dominum, fidem non servantem abdicandi, haud denegandam esse probat ipse *Dn. Carpzov. c. 14. sect. 5. & sect. 6. n. 1.* Causas ipsas depositionem promerentes ex varijs sententiarum formulis excerpere, adeoque ex praxi & observantia hanc rem definire, tutissimum videtur Linnæo qui & l. 2. d. causas, ab quas Adolpho Nassoviensis, Henrico IV, & Wenceslaus de fastigio deturbati, enumerat & l. 3. d. necessitatem & utilitatem publicam, tanquam sufficientem depositionis causam, allegat. Verum à sententiæ affirmativæ istis Patronis planè divortium faciunt alij. *Goldastus in Bohem. l. 1. c. 5. n. 6.* parum fidei tribuit exemplis rejectorum Imperatorum Henrici IV. Adolphi Nassoviensis, & Wenceslai, ac diplomata ex auctorationis ceu impia & nulla damnat. *Lampadius in tract. de. Rep. Romano-Germ. p. 79.* Arniseum cum primis oppugnat, & ad principia politica ipsum congruentia dixisse negat. Scilicet de Majestatis causa, de pacti ejusmodi indole & efficaciam, de jure deponendi Vicarium Dei, hujusque origine, devitij & officij in uno subjecto nexu indissolubili, de potestate & autoritate Imperatoris semper inviolabili, de competente ac legitimo Imperatoris reverentiam juramenti juxta habentis & contra datam fidem imperantis, judice, de obsequio subditorum in regno conditionato, uti loquuntur, de Procerum sui contra Principem defensionis limite, de Majestatis in realem & personalem divisione, & similibus alijs principijs politicis disputandum esset, si quis hanc periculosam & difficilem questionem paulo accuratiori judicij lance expendere vellet. Ego verò (utor verbis *Magnif Dn. Carpzov. c. 14. f. 6. n. 28. L. R.*) hanc litem componendi mihi licentiam non sumo; sed subsisto, & fateor cum Goldasto dicto c. 5. non cuiquam privato; sed sacratissimo Imperatori, serenissimis Electoribus, & ceteris imperij Ordinibus, hac de re judicare & decidere fas esse.

§. II. PRIVILEGIA, quæ potestatem Electorum extra Electionem confirmant, omnibus & singulis Electoribus communia, varia

nia, varia sunt, de quibus in præfenti prolixè commentari nec lubet nec licet. Compendio utar, & scrutinium privilegiorum, quæ & cum alijs Statibus communia habent Electores, illis qui A. B. & J. P. suis illustrent Commentarijs, relinquens de sublimi jure (utivocat Dn. Carpzov. c. 5, sect. 7. n. 11.) de quò reliqui Principes Imperij nihil participant, annuatim nempe celebrandi conventus Collegiales (Collegial tage) à conventibus Electoralibus (wahl tage) secus atque videtur Goldasto, distinctos, pro salute & incolumitate Imperij sine specialis veniæ impetratione. Hæc Comitia Collegialia celebrandi potestas Electoribus à Carolo IV. (ante cujus tempora Illis solis absque Imperatoris permissu vel aliorum Principum interventu nunquam convenire licuit teste cum primis Goldasto) primùm concessa est, id quod (ex c. 12. A. B. liquidò constat. Causa ob quam specialiter illud Electoribus concessum est, exprimitur in c. 12. frontispicio. Nimirum multiplices Reipublicas Imperator cum illis quasi dividere voluit, ut salutis Reipublice eo melius hoc pacto consuleretur. Hinc gravissima quoque Imperij negocia de bello, pace, vectigalibus &c, agitantur in illo Electorum conventu. Quamvis a. Carolus IV. conventum illum annum esse voluerit, factum tamen est subsequen- tibus annis ut non nisi summa necessitate flagitante tales conventus instituti sint. Et quemadmodum hic & alibi A. B. præscripto non congruit subsequens observantia: Ita nec hoc, quod Electores personaliter conventui isti inter esse debent, strictè observatum fuisse, docet *Arumæus dis. 5. ad A. B. art. 12. p. 237.* In conventu autem isto non nisi sex Electores, tres Ecclesiastici & tres Seculares, excluso Rege Bohemiæ, conveniunt. Sunt quidem, qui cum *Goldasto & Reinkingio* Regem Bohemiæ ad conventum Collegialem de jure vocandum esse propugnant, confisi non contemnendis quibusdam rationibus. Sed adversantur iisdem Dn. *Carpzovius c. 5, sect. 8. 9. Arumæus d. 5. ad A. B. f. 16. Limneus 14 addit, ad l. 3. c. 8. n. 21. p. 358.* à quorum partibus facit ipsa experientia & sanctioni A. B. contraria observantia, e variis Recessibus Imperij cognoscenda. Hinc *Magnif. Dn. Carpzovius n. 30. f. 8.* concludit *Cessat hodiè omnis controversia, postquam in Electorum conventu Anno. 1611. Norimbergæ instituto litem hanc gravissimo præjudicio*

judicio & quidē in contra dictorio judicio decisam, nullā q̄ Dn. Mat-
thia Regis Bohemia Legato Sessionem in Consilio concessam novimus.
Nihil ominus idem celeberrimus Autor n. 34. f. 8. argumenta
pro utraque opinione pugnancia, non invito Goldasto, concilia-
re conatur hunc in modum. Dicimus, inquit, quondam Regem Bo-
hemia conventibus sive Comitibus Electorum indifferenter ad fuisse, &
una cum reliquis Archi Principibus Electoribus de negotiis & rebus
Imperij delibcrasse; quin & Auream Bullam Caroli IV. Imp. in dict.
tit 12. jus Sessura & Suffragij ei tribuere; Sed per observantiam con-
trariam ab hoc jure recessum esse, nec hodie Regem Bohemia præ-
terquam ad Electionem novi Regis Romanorum admitti. Causas
observantiæ, quâ juri Regis Bohemiæ in conventu Electorum
Collegiali tantum decessit, varias adducit n. 38. seq. f. 8. & n.
9. f. 9. cōfer. & Limn. cujus inter alia verba l. c. hæc sunt: Rex Bohe-
miæ videtur hodiè ita vivere, ut res, administratio, & cura Imperij
cui reliqui Imperatores invigilant, ipsum attinere vix videantur so-
la Electione Imperatoris excepta. Ut primum enim ea facta, amplius
manum non admovent, ne quidem ad capitulationem ipsam, qua Im-
peratori præscribitur. Ad eò in eadem nulla ejus reperiuntur vestigia,
ut ne nomen quidem extet inter illos, qui Imperatorem dedisse in prin-
cipio capitulationum dicuntur: ac, si aliunde de ipsius jure non con-
staret, dubitandum an eligeret. Add. Autor Comit. Ratisbu de A.
1654. p. 141.

§. 12 Post hæc consideranda tandem venit Potestatis Electo-
rum tam in electione quam extra electionem CONFIRMATIO,
quæ toties, quoties novus Imperator, vel Rex Romanorū eligi-
tur, contingit; quod ipsum Capitulationum Cæsarearum
collatio, sat abundè probat. De illa, jam ante Carolum IV. con-
suetudine recepta, confirmatione hæc in A. B. c. 2. §. 5. extat Ca-
rolina constitutio: *Constituimus & de Imperialis de cernimus ple-
nitudine potestatis, quòdis, qui modo præmissis in Regem fuerit Roma-
nū electo, peracta statim electione hujus modi priusquam in aliquibus
causis, alijs sive negotiis virtute S. Imperij administret, universis &
singulis Principibus Electoribus Ecclesiasticis & secularibus, qui propin-
quiora S. Imperij membra esse nescuntur, omnia ipsorum privilegia*
D litteras,

litteras, jura, libertates, concessionem, antiquas consuetudines & etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suae obtinuerunt, & possederunt, absque dilatione & contra dictionem confirmare & approbare debeat per suas litteras & sigilla, ipsisque praemissa omnia innovare, postquam Imperialibus fuerit infulis coronatus. Adeo necessariam existimavit Carolus IV. dictam confirmationem, ut omnibus alijs curis & Imperij negotijs eam ante ponendam esse decreverit, ne forte quis Successorum privilegia ac jura Electorum convellere & revocare praesumeret. An vero hodie postquam jura illa longa consuetudine ac quaevis familiae Electoralibus propria ac haereditaria facta sunt, aequae necessaria sit, dubitare quis posset cum *Arniseo c. 6. f. 5. n. 117. de St. J. G.* Observandum a. hic ex c. 29. A. B. quod dum Electores feuda seu regalia ab Imperatore vel Rege. Rom recipiunt, ad dandum vel solvendum aliquid nulli penitus ad stricti sint. plura vid. apud *Dn. Carpzov. c. 3. f. 14. n. 1. seq. p. L. R. Arumaeum disc. 2. n. 20. ad A. B. Limnaeum l. 2. c. 3. n. 88.* qui confirmationis istius modum a veteribus observatum describit.

§. 13. Alterum nunc tractationis Caput sequitur, ubi quae Electoribus vel Ecclesiasticis vel Secularibus communia sunt, percurrere constitutum est. De Electoribus Ecclesiasticis in genere annotatum invenio I. quod in actibus Imperialibus pro Principibus primariis immediateque Imperio subjectis habeantur; (*Vid. Gail. obs. 30. n. 1. Myns. cent. 5. obs. 58.*) etsi raro Principes nati, & plerumque tantum Nobiles existant. vid. catalogos Electorum Moguntinorum, Trevirensium & Colonien-
um apud *Limnaeum in annot. ad l. 3. c. 4. p. 334. seq. it. Besoldus p. 305. l. c. II.* quod duplicem repraesentent personam, quia & potestate s. jurisdictione Ecclesiastica & seculari gaudent. Nam quamvis haec duo secum invicem aliis pugnent, & in uno subjecto non bene concurrant, praesertim si Episcopus, quae Episcopus, docentes nimirum mysteria divina, & administrantes sacramenta consideres; attamen cum contrarium tam altas radices in Imperio nostro egerit, & tempore hodierno Ecclesiastici (verba *Magnif. Dn. Carpzovii c. 3. f. 9. n. 28. mea fa-*
civ)

cio) jam à principio foundationis suarum Ecclesiarum, vel à tã-
tò dierum spatio, de cuius contrario non extat amplius me-
moriam, unã cum potestate spirituali & ecclesiastica obtinue-
rint, (Vid. Nicol. Mylerius c. 9. l. de Principum præcipuis Juribus
p. m. 66.) & adhuc legitimè obtineant, Ducatus, Comitatus,
Baronias cum jurisdictione temporali; sanè præsumptuosum
fuerit, disputatione scholasticã, quã nec dari nec adimi pos-
sunt Dominia, iis terminos antiquæ dignitatis pervertere. Al-
ii vulgatum illud huc transferunt: Homo unus idemq; diver-
sis respectibus, diverso jure, & diversis censetur qualitatibus.
III. quod juxta Reink. p. 392. l. d. & Arumeum p. 126. l. c. præro-
gativam s. Jus Electuræ obtineant, cum ipso statim territorio,
quod jure Feudi ab Imperio tenent; (Vid. Matth. Steph. de
Jdict. l. 2. p. 1. c. 5. n. 5. Buxtorff. c. 1. th. 18. ad A. B.) non tanq. Eccle-
siastici; nec tanquam Cancellarii juxta Limnæum l. 3. c. 5. n. 11.
sed tanquam amplissimarum regionũ Domini; licet non
tam Electionis, quam, quod Limnæus addit, muneris Cancel-
larii intuitu diversa regionum notã sint insigniti. IV. quod ex-
inde, quia jus eligendi Imperatorem non ut Ecclesiastici,
sed ut Principes Imperii obtinent, nondum à Pontifice infu-
lati seu confirmati, nondumque pallo ab eodem ornati, eli-
gere possint; quicquid etiam hîc videatur Besoldo, qui p. 306. l.
c. concordata Principum Germaniæ vulgò vocata isti senten-
tiæ frustra opponit. Vid. Limn. l. 3. c. 3. n. 40. 41. Buxt. ad A. B. l. c.
B. Svevus q. 2. d. 2. Feud. & q. 3. d. 9. V. quod quilibet Eorum
sit & dicatur Archicancellarius. In recensione causarum,
cur illi tres Archiepiscopi ad Cancellariatũ munus vocati
sint præ aliis, variant Autores. Ex Windecio c. 12. de Elect.
Besoldus p. 303. l. c. hæc profert 1. quia ad Rhenum & sic in
meditullio Imperii habitaverunt. 2. quia præ aliis Archiepisco-
pis primariã dignitate decorati fuerunt. Panvinius l. de Co-
mit. Imper. c. 6. circa fin. Illos ideò præcipuè electos fuisse
conjicit, quod vetustissimi & nobilissimi omnium Germanicorum
Episcoporum: Moguntinum enim esse Metropolitanum totius Ger-
manie à S. Bonifacio Archiepiscopo institutum. Coloniensem ve-

ro Archiepiscopum Cancellarii dignitatem obtinuisse tum propter
antiquitatem, tum etiam quod in ejus diocesi, Aquisgrani, Regis
in auguratio celebretur. Porro omnium vetustissimum esse Trevi-
rensem Episcopum, à S. Petro institutum in Gallis. Adjicit et-
iam ibidem idem Panvinius: horum Cancellariorum Imperii in-
stitutionem circa primi Ottonis Imperatoris tempora exortam fuis-
se, idq; se ex ipsorum Imperatorum privilegiis vel diplomatibus pu-
blicis observasse. Dn. Conring a. p. 116. fatetur, quod, quando
ad certos istos Archiepiscopatus dignitas illa restricta sit, non
ita constet. Officium Archicancellarii quod sit ex *Lehmanni*
Chron. Spir. l. 2. c. 7. verbis à *Limnao* laudatis *l. 3. c. 3. n. 11.* discere
in proclivi est; etsi *Azorius*, citante *Limnao* in ann. ad *l. 3. c. 3. p.*
331. alio prorsus videatur inclinare; tradens, *Coloniensem Ar-*
chiepiscopum esse Italia Cancellarium in aula Imperatoris, Trevi-
rensem Cancellarium Gallie, Moguntinum Germanie, quoniam,
hæ tres nationes contendunt jure ad se Imperium pertinere. Illud
vero sicco pede hîc prætereundum non est, quod post alios
Besoldus p. 112. l. c. notat. Posteriorum nempe duorum Cancel-
lariorum munus quodammodo exspirasse, quod Germani-
ci Imperatores non adeò magnam potestatem in Italia, nul-
lam vero in Gallia regnoque Arelatensi habeant, (*Vid. Dn.*
Conring. in tract. de fin. J. G. cap. 23. 24.) adeoque nec ampli-
us tres Cancellarias. VI. quod ut alii Germaniæ Epi-
scopi vel electione, (in cujus subsidium introducta est po-
stulatio, ut eum quem eligere non licet, postulare liceat) vel
collatione instituantur. *Vid. Dn. Conring. p. 112. de Elector. l. c.*
Brandlacht in epit. Jurispr. publ. l. 2. c. 2. p. 27. VII. quod si contra
Imperatorem vel Imperium aliquid committant, Regalibus
quidem, quæ ab Imperio tenent, priventur, non vero ordi-
naria banni pœna, uti seculares, afficiantur. *vid. Limnaus l. 3.*
c. 3. n. 66. qui plures citat.

§. 14. Circa Electores seculares hæc inter alia omnibus
certo respectu communia observare licet. I. quod vi & virtute
Regni ac Principatum suorum in electione Regis Romano-
rum, in Cæsarem promovendi, cum cæteris Principibus Ec-
clesiasticis, suis, Coelectoribus, jus, vocem, & locum habeant ex

con-

constitutione Caroli IV. c. 7. §. 1. & c. 20. A. B. quæ quomodo dext-
rè explicanda vid. Dn. Conring p. 111. de Elector. l. c. & Limnaus l.
3. c. 7. n. 2. II. quod vel successione vel nuda Imperatoris collatione
hanc dignitatem consequantur. Successione, quamdiu aliquis
ex familia sexus masculini laicus legitimè natus super est. Colla-
tione vero Imperatoris, & quidem solius, dignitas Electoralis ac-
quiritur; si Principatus Electoralis quacunque de causa vacet. A.
B. tit. 7. §. 2, 3. III. quod licet à Cæsare investiturâ nondû impetra-
rint, jure tamen electionis gaudeant, & in electione Regia vo-
tum habeant cum juxta A. B. tit. 7. §. 2. Postquam aliquis secula-
rium Electorum esse desinit, statim jus vox & potestas Electro-
ralis ad filium ipsius primogenitû deolvatur. Hoc ipsum tamen
Besoldy p. 206. l. c. non immeritò etiam ad Ecclesiasticos accom-
modat, cui sententiæ non parû firmitatis accedit ab inductione
exemplorum, quam instituit *Limnaus l. c. n. 12.* qui etiam inter
ista, & alia, in speciem contraria, A. B. verba harmoniam cõ-
cinnat. IV. quod quilibet eorum in Curia Imperiali peculia-
re aliquod obtineat officium. Nam quamvis in solennibus
curiis Imperatorum, vel Regum Romanorum, etiam Ecclesi-
astici habeant, quod agant, ex ordinatione A. B. c. 27. §. 2. mi-
nisteria tamen Electoralia, vel, uti *Reinking* vocat, officia
Imperialia, communiter & principaliter dicuntur ista, qui-
bus, peractâ Imperatoris coronatione, in curia Regali fun-
guntur Electores seculares. Illa antiquitus nec certa, nec
certis familiis assignata, quin potius ambulatoria & tempo-
ranea fuisse, ex Historicis commemorant *Dn. Carpzov. c. 10. s. 6.*
n. 5. 9. & *Dn. Conring. p. 118. de Electoribus l. c.* qui tamen per omnia
hic non concordant. *Dn. Carpzovius* enim. n. 10. l. c. *Electorio*
ordine instituto, ne novus labor recurrentibus Comitibus Imperatori
semper accresceret, unusve præ alio respectus despectusve de impe-
riali clementia conqueri posset, ad Electores illustrium horum
officiorum administrationem jure perpetuo atque hæredita-
rio translata fuisse affirmat. Dn. Conringius v. l. c. p. 119. ante
Electoralis collegii constitutionem certis familiis illa concre-
dita autumat. *Non dubitandum est, inquit, quum hujusmodi*

aulica officia sint præ aliis splendida, ex quo incertas familias illa collata sunt, etiam illas familias præ aliis cœpisse dignitate eminere, adeoq; has præcipuè curiæ imperialis curam sibi arrogasse. Unde non potuerunt non vacante Cæsareâ dignitate cum Reipubl. tum in primis novæ electionis vim ad se potissimum trahere. Deinde Dn. Carpzovius Ottonem III. Imperatorem translationis istius Autorem primarium ex opinione vulgi constituit. Dn. Conringius verò tum quoque temporis, cum Henricus II. Episcopo Bambergensi hoc privilegium dedit (referentib; Bruschio in *catal. Episc. Bamberg: fol. 236. & Frehero*, cujus diversa loca Dn. Cöringi; & Reinking n. 294. laudat) ut ab eo hæc officia acciperet, dignitatem hanc ad familias, quæ hodiè his præfunt officiis, delatâ fuisse suspicatur. Porro tantam dignitatem istorum officiorum esse dicit Dn. Carpzov. n. 14. & Arumæus p. 304. ut non una cum Electoralium investitura transeat, sed necesse sit eam ab Electoribus per Vicarios suos ab Episcopo Bambergensi speciatim peti, quod ex Goldasto & Bruschio hauserunt, quæ Dn. Carpzov. cum *Limneo l. 3. c. 7. n. 76.* meritò corrigit, quod ipsa Electoratus feuda cū officiis illis confundit, ad eoq; feuda Electoratum ipsa à Bambergensi peti, ab eoq; desuper in vestituram impetrari, cum alijs, eundè errorum erratib; à Dn. Carpzov. citatis, statuit. Habet verò isti Officiales majores Imperiales primi ordinis (quæ *Limnæo in Annot. ad art. 41. capitul. Ferd. II. p. 608.* à secundo & infimo distingvit) suos Substitutos & vicarios, ad quos absentibus Electoribus, non ad horum Legatos, illustrium istorum officiorum administratio pertinet. Qui verò vicarij isti, & quæ officia Imperialia illa sint, aliunde constat, & ex seq: patefcet.

§. 15. Restat discursus hujus Caput ultimum, ubi, quæ singulis Electoribus competunt, dispiciendum venit. Primus autem Electorum est MOGUNTINUS. Hic Archicancellarius est Germaniæ A. B. c. 2. & 3. §. 2. in quem hodie omnia quæ ad Archivum Imperij (quod duplex juxta Reinking.) pertinent, collata sunt; unde & Matriculam Imperij custodire tenetur. Ei præ cæteris hæc propria sunt, I. quod tanquã Collegij Electoralis Decanus vacante Imperio literis patentibus significare debet Coelectoribus suis, ut à die

nt à die in literis expressa intra tres menses continuos ad eligendum Imperatorem Francofurtum ad Moenum conveniant, aut Legatos suos mittant A. B. c. 2. II. quod in ipsa electione vota inquirat, ultimoque loco ab Electore Saxoniae rogatus mentem suam aperit. A. B. c. 4. Et quamvis sint, qui Palatino Rheni potestatem Electores convocandi, ex iisque vota colligendi, proprie & ab antiquo deberi defendere velint; laterem tamen lavant, & Carolum IV. optimè ex Archivis Imperij rem exploratam habuisse, adeoque de jure id muneris ob eundi Moguntino simpliciter reliquisse, temere in dubium vocant. Ad exemplum Ruperti Comitis Palatini, quo Cuspinianus in vita Caroli IV. sententiam suam stabilire conatur, respondent distinguendo inter statum S. J. R. pressum, seu quaqua vorsum periclitantem: & secus talem, in quo detrimentorum publicorum nihil extimescendum. vid. omnino d. 3. Feud. B. Suevi app. qu. 1. III. quod diadema Regium Regi Romanorum imponit, extra ditionem scil. Coloniaesem. Extra hanc jus coronandi Ipsi soli competere demonstrare fatagit n. *Autor Comit. Ratisbon.*, p. 72. seq. ex quo potiora, quae sequuntur, depromo: **Wir können nicht sehen** (inquit p. 71.) **warumb de Churfürstē von Mainz solches Ampt der Crönung / und Einsegnung nicht gebühren solte / zu mahl an denen / aufferhalb des Erzbischofflichen Cöllnischen Diöcesis gelegenen Orten / nicht alleine in Betrachtung der Reichs-Gesetze / und vieler Exempel / sondern auch wegen der præminentz und des vorzugs / welcher den Churfürsten von Mainz / von Alters her geziemet.** Et p. 73. pergit: hat er darunter mit dem hierbedor erwehneten intimiren und ausschreiben / mit dem proponiren und scrutiren, mit der Direction, und mit andern Actibus, die meiste Mühe / ehe dann der Kayser erwahlet wird: Wer wolte ihm dann auch nach vollzogenener Wahl nicht für allen andern die Ehre gönnen / daß er de Kayser die Crone auffsetze / und mit solcher Crönung als
m. s

quidem voluit Tholosanus, contra quem disputat cum Aru-
mæo p. 135. Limnæus. l. e. n. 9.

§. 17. Tertium locum obtinet COLONIENSIS, qui
Archi Cancellarius audit per Italiã, hoc est, juxta *Dn. Cöring. p.*
117. per regnum Longobardorum, & reliquias veteris Impe-
rij Romani. Ei Trevirensis de jure suo aliquid cessisse, in que
recompensationem ejusdem recepit, quod etiam extra Can-
cellarium suum & provinciam stabilem eundemque se den-
di locum semper teneat, cum tamen Moguntinus & Coloni-
ensis, ratione locorum modò dextrum, modò sinistrum latus
occupent, hæriolatur *Arumæus Disc. 3. ad A. B. th. 2. p. 121.*
At divinatio hæc displicet *Noldenio c. 9. n. 154. de Nobilit.* ubi
eandem somnolentã vocat, & jactationem honoris præsertim
inter Magnates Imperij non præsumendam scribit, cum ho-
rum proprium in quarto modo sit, de gloria & honore cer-
tare. Rectius fortè Moguntinum ei aliquid de jure suo cessisse
quis diceret, si amicabilem inter hunc & Coloniensem de jure
coronandi trans actionẽ, ex ista *Dn. Conringij & Autoris Co-*
mito. R. hypothese estimare vellet. In Electione votum secun-
dum ipsi tribuitur A. B. c. 4.

§. 18. Quartus Electorum, inter seculares primus, est
REX BOEMIÆ. Hic, quamvis hodie nec in conventu Electorũ
Collegiali, nec in Comitibus Imperij generalibus, jus sessoræ &
suffragij habeat, id quod *Celeber. Dn. Carpzov. c. 5. f. 8. 9.* de-
monstratum dedit; Elector tamen legitimus nihilominus est,
quin ad electionis actum saltem deputatus. Ei quoque pri-
mum inter Archi principes Electores seculares, adeoque in or-
dine tertium votum expressis verbis tribuit A. B. c. 4. Præter-
ea Archi pincerna est Imperialis, & tenetur Imperatori pri-
mum porrigere poculũ in celebratione curiæ imperialis, non
tamen sub corona regali, nisi id libera voluntate facere velit. A.
B. c. 4. & 27. Nihil autem dignitati ejusdem derogat, quod
officium suum post omnes reliquos Electores obit juxta c.
27. §. 5. A. B. nam hoc ex ordine naturæ æstimandum est, ut po-
tus [qui ibi est vinum aqua permixtum l. c. A. B.] cibum
subsequatur. Cæterum in processionibus solennibus in tan-
tum

tum ferias agit, dum nihil habet, quod gerat (A.B.c. 26. §. 3.) sed solum quod exhibeat, nempe poculum. Vicarium habet Pincernam hæreditarium de Limburg c. 27. §. 6. A.B. Tandem, qua ratione Rex Bohemiæ etiam status Imperij dici posset, & quomodo Autores dissentientes hic conciliandi sint, luculenter exponit *Dn. Carpzov. .c. 5. §. 2. 10. n. seq. L. R.*

§. 19. Quintus inter Electores hodie est DUX BAVARIÆ, in quem Ferdinandus II. dignitatem Electoralem, qua Fridericum Palatinum privavit, cum omni jure, quæque eò pertinent, contulit Anno 1623. d. 25. Febr. eodem die, quo superiori seculo Carolus V. Mauritium Saxoniam Ducem Electorem creaverat, annotante *Adolpho Brachelio l. 2. Hist. nostri temporis p. 67. seq.* ubi & causas, ob quas Bavarus Palatini Filiis, & VVolfango VVilhelmo, Duci Neoburgico, Palatini Fratris, in noxius, à Ferdinando II. ante positus sit, & alias translationis Electoratus circumstantias exponit. An v. ante hac etiam jus Electorale habuerit domus Bavarica, quod, à Carolo IV. licet Palatino adscriptum, multiplicibus interpositis protestationibus sibi semper eo usque reservavit, disputatur inter plures à *Limnæo l. 3. c. 9. n. 1.* citatos. Et *Besoldus* quidem in asserendo Duci Bavaricæ jure Electorali eò prolabitur, ut serenissimæ Bavaricæ Familic à Carolo IV. notoriam injuriam illatam esse scribat *p. 1. c. 5, p. 114. l. c.* quod is in Aurea Bulla ex mera invidia non Bavaro, sed Rheni Palatinis Electoratum transcripserit. Sed quicquid de illo disputari poterit: certum est hodie quod Bavarus juxta clara verba supra allegata Instr. P. omnibus privilegiis & prærogativis dignitati Electorali (quam ante Elector Palatinus gessit) annexis, fruitur. Hinc vacante Imperio in partibus Rheni & Sueviæ, & in jure Franconico, Imperii Vicarius seu provisor est, & dicitur. quo Vicariatu etiam post ultima Ferdinandi III. fata defunctus est, quamvis contradicente Palatino, Octavo Electore, quem Elector Saxonie placasse videtur. Confer. *literæ Electoris Saxonie ad Palatinum super Vicariatu Imperii, quæ Laurui Act. Public. Eur. p. 119.* insertæ sunt. Illud quoq; Eidem procul dubio

bio competit præcæteris, quod Imperator super causis, quibus impetitus fuerit, coram eo, sed in ipsa imperiali curia, debeat respondere. A. B. c. 5. Votum in Electione habet quartum. In celebratione curiæ imperialis Archidapiferi fungitur officio & quatuor scutellas argenteas, cibore plenas reponit in mensam, ante Imperatorem A. B. c. 27. In solenni vero processione gestat pomum imperiale. A. B. c. 2. Vicarium habet hodie Hæreditarium Dapiferum à Zeil. Vid. Coronat. Leopold. p. 57. Laur. Act. Publ.

§. 20. Sextus Electorum est DUX SAXONIAE. Ei vacante Imperio, idem jus, quod Palatino, in locis, ubi Saxonica jura servantur, concessum est. c. 5. A. B. Votum in electione habet quintum. In curia Imperiali ArchiMarschalli fungitur officio, & tunc, posito ante ædificium sessionis Imperialis vel Regalis acervo avenæ, tantæ altitudinis, ut pertingat usque ad pectus vel sellam equi, cui insidet Elector Saxonie, idem in manu habere debet baculum argenteum, & mensuram argenteam, replendoque mensuram eandem avena, famulo primitius venienti ministrare. A. B. c. 27. §. 1. In solenni autem processione præfert Imperatori gladium evaginatum A. B. c. 26. Vicarius ipsius est Marschallus hæreditarius à Pappenheim A. B. c. 27. Privilegium de Non appellando in totum, non tantum ad certam summam, (quod cum privilegio de Nō evocando perperam confundit Zinzerling à Dn Carpz. c. 9. §. 3. n. 11. refutatus) cæteris longi temporis consuetudine, excepto Electore Brandenburgico, creptum, illibatum hucusque retinuit & ejusdem confirmationem à Ferdinando I. Imper. (teste Reinkingio l. 1. cl. 4. c. 6. n. 3.) Anno 1659. accepit. vid. cum primis Dn. Carpzov. l. c. Heigius p. 1. quest. 4. n. 35. & Schönbornerus p. 561. Pol. singularem rationem, ob quam ab Electore Saxonie non appelletur, allegant hancce, quod nempe is singularis Juris Saxonici defensor constitutus sit. Vid. & Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 5. n. 56.

§. 21. Antequam hinc ab eam, circa Vicariatum, quo Electores Bavarie & Saxonie splendent, observandum ducō
I. quod

I. quod Illi in Imperio Teutonico Vicarii sunt universalis Regni, (verbis utor *Dn. Carpzovii c. 11. f. 12. n. 8.*) à vicariis particularibus, quorum plures *Dn. Carpz. l. c.* recenset, ut & aliis seu generalibus, suo modo, seu perpetuis s. temporalibus, distincti, ratione jurisdictionis & administrationis, quo de conferatur *Limnæus l. 3. c. 12. de Vicariis.* II. quod in Vicariatus determinatione ad tempora A. B. respiciendum, ut sic Vicariatus tum Electoris Bavari tum Electoris Saxonici hodieque subjiciuntur omnia illa loca, in quibus tum vel jus Franconicum vel Saxonicum viguit. Latius in hoc spaciosissimo campo evagari non licet.

§. 22. Septimus inter Electores est MARCHIO BRANDENBURGENSIS. Ei votum competit sextum A. B. c. 4. In curia solemnifungitur munere Archi Camerarii, Imperatorique aquam porrigit A. B. c. 27. In processione v. sceptrum præfert A. B. c. 22. & 26. Privilegium de Non appellando cum Electore Saxonie constanter retinuit, ejusque confirmationem (non novamissi concessionem, quã fingit *Heigins l. 1. qu. 4. n. 32. à Dn. Carpz. c. 9. f. 8. n. 16.* falsitatis convictus) à Rudolpho II. Anno 1586. obtinuit. *vid. Reink. l. 1. cl. 4. c. 6. n. 3.* Vicarium habet Camerarium hereditarium ab Hohenzollern A. B. c. 27.

§. 23. Octavus & ultimus Electorum hodie est PALATINUS, cujus limitata restitutio ex antea dictis manifesta est. Ei votum in electione competit septimum. In curia solemnifungitur munere Archithesaurarii provinciam sustinet, & monetas aureas ex quo in populum dispergit per seipsum; argenteas v. per Vice thesaurarios Comites de Sizendorff. confer. *descript. Coronat. nuperæ p. 57. Laur. A& publ.*

§. 24. Atque hæc de amplissima hac materia eademque difficillima etiam. Multa, ob defectum scilicet plurium librorum, ob temporis, chartæ, atq; cancellorum angustiam, & ob ignorantiam rerum veterum, aliorumque Imperii actuum (propter quam complura à Viris etiam cætera præclaris commissa esse observavit. *Dn. Conring. p. 45. assert. Mogunt. cit.*) à me fu-

isse præterita, advertet Lectorem unctioris naris, sed & spero i-
gnoscet juveni, qui ista omnia potius fudit, quam scripsit. Si
quid desit operi, supplet ætas: & si quæ d. Et sunt juveni licet, pro in-
dole accipiuntur. Quintil. l. XII. c. 6. p. m. 698 orat. inlt.

ILICET.

SOLI DEO GLORIA.



HEIMANNE, quænam vis sit ingenî tui,
Hâc disputatione monstras publicâ,
Quâ de materiâ differis prænobili.
Uno ore cuncti concinunt, Feliciter!

Quod gratulab. de prop.

CONSTANTINUS Ziegler
SS. Th. Lic. Phys. P. P. & h. t.
Decanus.



Tu quoq; apud Phæbum nomen deferre laboras,
Ac, HEIMANNE, animi prodere dona Tui?

Sic ex ungue leo; sic primo è gramine planta

Noscitur, ex cantu sicq; probamus aves.

Si

*Si licet augurio quicquam predicere nostro,
Post hanc sementem famam aliquando metes.*

Per-Eximio & Politissimo
DN. RESPONENTI
Fautori ac Commensali honorando.
grat. app.

M. Joh. Michaël Strauß/
Coll. Philosoph. Adjunctus.

Sic, HEYMANNE, premis vestigia clara Tuorum,
Quos Astraa fovet. Quis tua Dresda favet.
Perge modò hoc stadium decurrere, splendida Virtus
(Quâ Fratres fulgent) Temet ad alta veher.

PRÆSES.

In longam Tibi, Chare, paras obsonia Vitam,
Et properas nidum composuisse tuum:
Sic apis, & multo tenuis formica labore
congerit in cellas mella cibumq; suas.
Perge Juventutis ver exercere studendo
sufficiet brumæ provida cura Tua!

Hec pauca
Ad perex. Dnum. Heymannum com-
mensalem & fautorem optimum
dabat

Conradus Strauß.

Qui sibi felici virtutem jungit & artem,
Fœdere, proh tandem quanta brabæa feret!

AK
TK
2118

Id quoque nunc Heymanno facis, virtutis Amator,
Artem conjungis, fidus utriq; litas.
Ascendis Cathedram, Sophiæ conamina præbes,
Et dona ingenii conspicienda tui.
Gratulor his ausis, juvet hoc par nobile, tandem
Ut capias patriâ digna brabæa tuâ.

Hæc per eximio Dno. Respond. Commensali
suo per dilecto gratulabundus ad-
jiciebat

Johannes Beinradt /
LL. Stud.



Conradus Grotius

ME

K077

B
PO


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



BIBLIOTHEK
ALLE
(SAALE)

IMPERIAL
GLORIOUS

ft
Ju
c
d
H
a
re
ri
fr
fu
p
r
A
In
P
e
s.
ti
v
R
e
q

